FRANCISCI ERNESTI BRUCKMANNI ... SPECIMEN BOTANICUM EXHIBENS FUNGOS...

Franz Ernst Bruckmann, Abraham Drentwet

VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQ; CONSVLTISSIMO

DN. HERMANNO FRIDERICO

TEICHMEYERO,

MEDICINÆ DOCTORI FAMIGERATISSIMO,

ILLVSTRISSIMORVM COMITVM DE HATZFELD ET GLEICHEN ARCHIATRO GRAVISSIMO

PROFESSORI IN ACADEMIA IENENSI PVBLICO ORDINARIO

PRÆCEPTORI SVO FIDELISSISSIMO, PATRONO ET FAVTORI

PLVSQVAM FILIALI OBSERVANTIA COLENDO SCRIPTVLVM HOC

IN VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM ET GRATI ANIMI SIGNIFICATIONEM DEVOTISSIME

AC SVMMA SVBMISSIONE

OFFERT

AVTOR

PRÆLOQUIUM.

QUum ante tres, colende Lector, & quod excurrit, hebdomadas amici cujusdam acciperem literas, in quibus non mentionem tantum faciebat vegatibilis alicujus ſubteranei, tubera terræ dicti, quæque Sereniſſimus ac Potentiſſimus Boruſſorum Rex per Italum quendam caninus venaticis, ad hæc terræ occulta prodigia odoranda edoctis, venanda atque invenienda curat; ſed inſuper a me quoque ulteriorem informationem peteret; ad pleniorem horum tuberum disquiſitionem me totum ſtatim accinxi. Magni nimirum hujus ſubterranei miraculi, magni hujus vegetabilis mundi prodigii interiora, præ lucentibus ſummorum in re botanica virorum ſcriptis, aliquanto penitius pervestigare & contemplari auſus, viſa & inventa, proſcriptis omnibus verborum ambagibus, quantum juveniles meæ ſeſe extendunt vires, in chartam conjicere atque benevolo Lectori non minus, quam poſtulanti amico offerre volui.

DE

TUBERIBUS TERRÆ

SPECIMEN BOTANICUM

§. I.

E vero trita aliorum orbita declinans in devia & errorum lacunas deferar, a nominis evolutione ordiendum erit: cum & in Medicorum ſchola methodus hæc diuturno utentium conſenſu recepta ſit & comprobata. Etymon tamen non ita ſollicite ſcrutabor, cum ſatis ſit noſſe, hoc terræ tuber, quaſi terræ uber, aut uber vegetabile dici, non ob figuræ [qua duplex uber vel duo animalium ubera combinata repræſentat] tantum rotunditatem, unde malum etiam campi vel terræ nominatur, atque propter excreſcentias in cortice rugoſa mammarum papillis haud abſimiles, ſed ob fungoſam quoq; ſpongioſam poroſamque quaſi mammillarem ſubſtantiam.

§. II.

§. II.

Variis autem rebus, tam naturalibus, quám præternaturalibus, hoc vocabulum tuber à veteribus tributum esse, hinc inde legimus, & quidem primo generatim omnem tumorem & quemcunque callum, aut prominentiam tantum, in quovis animalium corpore, supra reliquam ejus (scil. corporis) superficiem exstantem, tuber vocarunt; Sic Camelorum elevationes dorsi tuberum nomine sunt insignitæ; sic ecchymoma, seu sugillatio cutis, a sanguinis extravasatione, Terentio Comico in Adelph: tuber dicitur, ejus verba sic sonant: Colaphis tuber est totum caput. Non autem nonnulli tantum hominum auctæ magnitudinis morbi & naturales animalium tumores hoc gerunt nomen, sed tributum etiam hoc nominis invenitur cuidam adversæ valetudinis speciei plantarum, dum nempe excrescentiæ illæ lignosæ & monstrosæ præternaturaliter quibusdam vegetabilium partibus accrescentes & vel a succo nutritio luxuriante, vel venenato quo-

rundam animalium atq; inſectorum ictu, rotunda utplurimum figura, ſuperficie aſpera ac ioæquali præditæ, originem ducentes, prædurum callum referentes, ab iis, qui de ſecunda & adverſa plantarum commentati ſuot valetudioe, tubera vocantur. Plinius, præſtantiſſimus alias naturæ ſpeculator atque venator, ut plus quam mille res, haud ſatis ſibi ipſi cognitas, deſcripſit, ita & qooddam arboris genus tuber nominauit, cujus fructus ab eo etiam tuberes dicuotur; ſed quales apud Romanos olim iſti fuerint tuberes tam arbor videlicet, quam fructus, a nemine invenitur explicatum. Vide plura in Petri Laurembergii Roſtochienſis apparatu plantario de plantis bulboſis & tuberoſis p. 125, 126, 127. Porro & Cyclamini, plantæ flore monopetalo, globoſo & rotato, in quinque lacinias diviſo, fructu membranaceo, fere globoſo, multifariam dehiſcente, ſemioibus quamplurimis oblongis & angulatis, nigra radice tuberoſa, orbiculata gaudenti, nominatio tuberis terræ

vel

vel arvenſis fuit addita. Præterea & ſubſequentes tuberum appellatione donantur plaotæ, quas pauculis tantum complectar verbis, inter quas eſt 1) Nux henden ſeu Handen Arabum 2) Manobi Lenii, forte Traſi vel Thraſi aliquod genus: Traſi autem Jtalorum, quæ Hiſpanis & Siculis Ciafa dicuntur, radices ſunt ſaporis dulcis, quaſi nuculæ, & ob dulcedinem etiam vegetabile has edens radices Dulcioium, a figura autem Juncus avellana audit. Vide Heionici Mundii opera medico phyſica cap. de radicibus eſculentis p. 154. 3] Malum Perſicum ſeu nux Perſica. 4) Papas Americanum J. B. quod, quia Solani notam habet chaiacteriſticam, a ooſtri ævi botanicis, inter Solaoa refertur & Solanum tuberoſum eſculenta radice vocatur. 5) omnes fungi dicuntur tubera, illud vero ſpeciatim fuogorum genus, quod cavernoſum eſt & rugoſum; videatur Carolus Cluſius. 6) Cervi boletus ſeu Cervi fungus, quem cum epitheto tuber cervinum appellant. Vide brevem Pauli Ammanni Lipſien-

pſienſis ad Materiam medicam manuductionem p. 61. & alios 7) Lathyrus arvenſis repens tuberoſus ſeu Chamæbalanus leguminoſa, irregulari planta eſt flore tetrapetalo papilionaceo gaudens, ſeminibus ſimplici capſula tectis &, præter tuberoſam radicem, cum tuberibus nil habens commune. 8) Uva Taminia vel Tamnus Plinii ſeu vitis nigra Mathioli. 9) Jujubæ, fructus illi olivares, nonnihil turbinati, rutili coloris, ſapore paſſulas ferme majores æmulantes; cur tubera ſint vocati, non video. 10) Tum omnes ſtirpes radices prætumidas, duras, rotundas habentes, tuberoſæ dicuntur; ſtrictiſſimo autem ſignificatu ille tantum terræ callus edulis, rotundus, ſine radice genitus, foliis & flore infra terræ corticem, de quo & inpræſens meus ſit ſermo, tuber dicitur. An tandem Dudaim, cujus Geneſ. cap. XXX. a Moſe & Cant. VII. a Salomone, quo non alius fuit ſapientior, rege, fit mentio, tubera fuerint, quod Dom. Doct Ludovici in obſervationibus ſuis phyſico-chymico-medi-

medicis obſervatione XII. affirmat, inquiens: omnia, quæ de Dudaim e duobus ſcripturæ ſacræ allegatis locis, & variis ejus commentariis, afferuntur, perquam ipſis tuberibus quadrant: aliis inquirendum relinquo. Poſtremum ſi adagia de tuberibus placent, hæc habito: filii Deorum tubera, quia ſine ſemine mortali procreati dicuntur; Tubera telluris ad inutilia terræ pondera accommodantut.

§. III.

Tubera a loco natali (qui eſt terra) communitet *tubera terræ*, vel quod ſecundum veterum opinionem, terra ſe conglobaret, tale corpus rotundum formaret & produceret, & quia cibum quendam conſtituunt, item & ad differentiam aliarum rerum, quæ etiam tubera vocantur, *tubera terræ edibilia* dicuntur, a figura ſua rotunda malum terræ vel campi, item & radix cranium aut caput humanum referens, appellantur. Latinorum autem tubera ſunt Græcorum ὄμβροι, ſic dicta ab imbribus, quando enim crebri cadunt de cœlo im-

bres, cõpioſe proveniunt; vel ὑδνα, ab ὑδέω, tumeo, vel ὕδνον, qvod maxime appetantur a ſuibus. In Thracia, regione Europæ latiſſima juxta Myſſiam & Macedoniam, vocata fuiſſe κεφάλα vel κεφαλὶς ex Athenæo conſtat, qviqve Geranium hic legunt, germanam vocem corrumpunt, cur autem κεφάλα ſint dicta Thracico populo, haud difficile quivis videbit, nempe a figura rotunda cranium humanum æmulante. Germanis dicuntur Erd-Morcheln / Grüblein / Erdbuylen / Erd-Knobiecken / Erd-Schwammen / Hirſchbrunſt / alii tamen cervi boletum, de quo jam ſupra diximus, ſic appellare malunt, hujus nempe originem eſſe ex ſemine de vulva cervarum in-& poſt coitum deciduo putantes; ſynonimias hic etiam cum nominibus aliarum linguarum facile adducere & afferre poſſemus adhuc alias, ſi opus eſſe putaremus, ſic Arabes ea Ramech, Tamer, Kema & Alchamech; Hiſpani Turmade la tierra; Galli Truffles; Itali Tartufi, Tertuffali nominant, ſed hi ultimi Halicacabum glandiferum, qvem etiam Tartuffli

appel-

appellant, coofuoduntcum tuberibus proprie ſic dictis.

§. IV.

Prælibatis his, qvæ ad nominis originem & explicationem faciunt, ad realem progredimur definitionem, qvam ſequentem in modum dabimus: Tubera, terræ ſunt plantæ imperfectæ caule, folio, flore ac evidenti ſemine carentes, ſubterraneæ, rotundæ, magnitudinis variæ, ſaporis áqvoſi ioſipidi, odoris fortis, coloris vel albi vel flaveſcentis vel ruffeſcentis vel nigri, carne intus alba ad inſtar pulpæ caſtanearum gaudentes, ſubſtantiæ calloſæ, edules.

§. V.

In definitione jam data, diximus tubera eſſe plaotas, qvod nemo facile inficias ibit, ſunt eoim corpora naturalia, viventia, organica, qvæex ſemine ſuo pronaſcuntur, terræ adhærent, ſuccum ſuum nutricium vel ex terra ipſa vel nubibus nocturnisque exhalationibus hauriuot, maturitatem a Sole & ſubterraneo igne adipiſcuntur, qvotannis ſemen progignunt, uode ſui ſimiles

plantæ generantur & ſexus ac genus ſuum ab interitu vindicatur.

§. VI.

Non tantum autem diximus, eſſe plantas, ſed inſimul etiam notam quandam addidimus characteriſticam, dum diximus, eſſe plantas imperfectas; in ſe quidem & ſua natura ſpectatum hoc vegetabilium genus minime eſt imperfectum, nulla enim non planta a natura naturante, Omnipoteote Deo, eſſentialem ſuam perfectionem adepta eſt, qva etiam nec hæc noſtra planta deſtituitur; aſt Botanici, quo ſcientiam de vegetabilibus in ſyſtema quoddã doctrinale eo melius redigerent, quasdam plantis partes, qvas eſſentiales vocant, attribuerunt & hiſce partibus gaudentes plantas, perfectas, deſtitutas hiſce & carentes, imperfectas vocitarunt, quas Johannes tamen Rajus Anglus, magnum illud Botanicorum lumen, rectius plantas inferioris ordinis appellat, ad has & hæc noſtra a me referuntur tubera, deſtituta enim ſunt caule, folio, flore & ſemine, partibus plantarum eſſentialibus. Inte-

§. VII.

Interim tamen exiſtentiam ſeminis prorſus in his abeſſe, mihi haud facile perſuaderi patiar; ſemen in oculos noſtros quidem non incurrit, interim tamen exſiſtit, qvod partim ratione, partim autoritate, partim etiam autopſia demonſtratum dabimus; ex ſemine prognaſci tubera obſervavit Joh. Bap. Porta, l. VI. cap. II. phytogn. deprehendit ille in tuberum corticibus, ut in Cupreſſi pilulis, latitare nigrum ſemen, eamqve eſſe rationem, qvod in ſylvis, ubi ſæpius prodiére & computruére, magna copia proveniant, qvin etiam locis illis, qvo corticum lotura, corticesqve ipſi fuére projecti, feliciter & ubertim creſcere ſoleant. Johannes Bauhinus in Hiſtoria plantarum univerſali inqvit: ſunt etiam, qvi ſeminis principium hæc (tubera) habere arbitrantur, & Commentator ille in Dioſcoridem, Petrus And. Mathiolus: quibusdam locis ſeruntur ſicut Mytilenis, (urbe in Inſula Lesbo, quæ hodie Metelina Geographis ſalutatur,) negant naſci niſi exundatione fluminum

invecto ſemioeab Tiaris (oppido Teuthraniæ, qvæ eſt regio Aſiæ ſupra Aeolidem & partem Troadis) eſt autem is locus, in qvo plurima naſcuntur; ſed ſola autoritas non ſufficit, ratio ergo cum ea eſt conjugenda: qvemadmodum autem in regno animali & minutiſſimum animalculum ſemen ſuum habet, cur uni vegetabilium id denegare vellemus; præterea ſemen vegetabilium, ex omni phyſicorum ſententia, eſt illa pars plantæ annua, qvæ vim multiplicationis in ſe contioet, qvicqvid autem vim multiplicationis in ſe continet, ſemen habere neceſſe eſt; porro, qvicqvid creſcit, creſcit per vim qvandam ſeminalem, crescunt & tubera, ergo neceſſum eſt ea crescere per vim qvandam ſeminalem. Oculo, microſcopio qvodam armato, dum ſuperficiem nigram corticum paulo accuratius aſpiceremus, depreheodimus in ea puocta qvædam diſperſa cortice nigra nigriora, qvæ nihil aliud eſſe qvam hujus plantæ ſemina pro certo habemus; & qvod reliqvum eſt, credimus, nihil abſurdius dici poſſe,

poſſe, qvam qvod qvædam vegetabilia creſcere absqve ſemine affirmentur, cum productio per generationem diſſimilarem ſpontaneam, qvam æqvivocam vocant, jam dudum abolita ſit.

§. VIII.

Si qvid admiratione dignum, eſt certe hoc, qvod nihil qvicqvam horum ſupra terram conſpiciatur, nullumqve extra terram promineat veſtigium, & hac ratione merito plantæ ſui generis ſunt dicendæ, hoc eſt, ſunt ejusmodi plantæ, qvæ genus ſeparatum conſtituunt, adque nullum aliud genus commode referri poſſunt; inter fungos quidem a nonnullis ſub fungorum ſubterraneorum titulo recenſentur, differunt tamen a fungis, qvod 1) radice carent, qvæ in fungis admodum fibroſa eſſe ſolet; 2) corpus intra terræ corticem retinent, qvod fungi extra terram protrudunt infinitis modis figuratum, mox in pileum vel mitram terminatum, mox in membranam, mox ad inſtar cornuum cervi divaricatum & ſic porro; tubera vero ſemper eandem

dem, nempe rotundam, pomi ad inſtar, licet inæqualis & rugoſi, figuram obtinent.

§. IX.

Rotunditate quidem gaudent ſemper eadem, magnitudine tamen inter ſe differunt; ordinaria, quam habere ſolent, eſt juglandis omnibus ſuis involucris adhuc contentæ, quam tamen haud raro excedere ſolent, ita ut multo ampliora fiant, & autores quorundam pugillarem magnitudinem, imo mali cotonei librali pondere excedentium meminerint; interdum tamen etiam vix caſtaneam magnitudine vel nucem avellanam adæqvent, in primis, quando aquæ autumnales, iis ſuccum nutritum alias præbentes, deficiunt. Dicunt Botanici, cum aqvæ autumnales & magna tonitrua fiunt, quod magnæ naſcantur, atq; cum maxima tonitrua fiunt, maxima fiant & vice verſâ.

§. X.

Vulgaria, quæ ex Italia ad nos apportantur, guſtu ſunt inſipido, aqvoſo, fatuo, nulla evidenti qualitate prædita; Africanorum Ter-

Terfez, qvod eſt tuberum genus album, dulcedinem quandam poſitivam præ ſe ferre dicitur; ſic Nicolaus Monardes tuberum qvorundam meminit, quæ ob gratum ſaporem valde expeterentur ab Indis & Hiſpanis.

§. XI.

Odore ſunt nonnihil gravi, ſuperficietenus tamen ſaltim iohærente ſeu ſuperficiem corticis taotum inveſtiente; ſues, qvod mirum, præ reliqvis animalibus facile ſub terræ cortice latentia tubera ſagaciſſime olfaciunt, quæ hanc ob rem ab Italis etiam ad capturam adhibentur, de qva venandi methodo in ſeqventibus plura; Tuber apud Cyrenem oaſcens, qvod Athenæo Miſon audit, carnis odorem habere ſcribitur.

§. XII.

Sapore & odore, duobus cognoſcendi principiis perluſtratis, ad aliud, colorem nempe noſtrum convertimus calamum. Color autem hic duplex occurrit, interous unus, alterque externus cortici adhærens,

qvi coñuniſſime niger eſt, nec alio colore prædita tubera ad nos afferuntur, dantut tamen & obſcure ruffeſcente, flaveſcente colore gaudentia, qvæ Pedanio Dioſcoridi, primo ſtudii botanici fundatori, jam innotuerunt & ab eo lib. II. de medicinali materia cap. CLXXV. περὶ ὕδνου, deſcripta his verbis: ὕδνον μέλαν δεῖ φοίνικος, ἄφυλλον, ἄκαυλον, ὑπόξανθον ἔαρος ὀρυττόμενον, εὐώδεστερον δέ ὅταν ὠμὸν τις τρώγῃ ἐφθὸν ἐσθιόμενον. D. Nicolaus Monardes, Hiſpalenſis in hiſtoria ſua ſimplicium medicamentorum, quorum in medicina uſus lib. III. meminit cujusdam tuberum ſpeciei, coloris ſpadicei, nucleum intus continentis reſonantem, de qua tamen ſpecie videatur modo citatus Monardes. Joh. Bauhinus, Botanicus ſui ſeculi haud contemnendus, & tuberis genus album, Terfez Africanorum dictum, recenſet in Hiſtoria ſua plantarum univerſali, qvod creſcere dicit locis calidis in arena & qvidem copioſe juxta urbem Sela, abundare in Numidiæ deſertis, cortice eſſe albo; Dalechampius credidit eſſe Miſon Plinü & Athenæi, aliis tamen Miſi vel Myſum ſunt tubera

bera Cyrenaica, olim omnium commendatiſſima. Hactenus de colore diximus externo; ad internum qvod attinet, lacteum eum eſſe deprehendimus, interdum ſubflavum. Mathiolus commentario in VI. libros Pedacii Dioſcoridis de Mat. med. p. m. 413. etiam pulpam colore pullo affert.

§. XIII.

Quemadmodum colorem in internum ſeu pulpæ & externum ſeu corticis in antecedenti paragrapho diviſimus, ſic & ſubſtantiam eorum in internam ſeu carnem, & externam ſeu corticem dividemus. Involucrum autem pulpam ambiens rugoſum eſt, inæquale, quaſi papillis mammarum obſitum, magisque durum & calloſum quam ipſa pulpa, poris infinitis ſcatens, per qvos plantæ ſuccus nutritius affertur. Interna pulpoſa ſubſtantia autem eſt calloſa ex meris tubulis, non aliter ac radix Gentianæ veræ, compoſita, in quibus liquida & ſuccus nutricius moventur, coqvuntur, digeruntur, maturanturlac nutritioni & plantæ augmento apta redduntur; tres ordinarie Phy-

fices arcana pervestigantes coctiones in plantis admittunt, quarum prima in radice, secunda in foliis ac florum petalis, tertia in semine fit, omnes autem hæ coctiones seminis gratia peraguotur; in hoc nostro vegetabili duas tantum statuere possumus, unam nempe in ipsa plantæ substantia & alteram in seminibus, quæ in cortice, uti in §. VII. demonstravimus, lateot; tertia, ob foliorum florisque petalorum defectum, (noo entis enim nullæ sunt affectiones) fieri non potest.

§. XIV.

Pulpam tubulosam esse oculo armato non tantū videre licet, sed & sequenti comprobabimus experimento: sic quando tubera calori exponuntur, liquida in tubulis contẽta a calore per poros expelluotur, his ejectis tubuli collabescunt, his collapsis, tubera in arctius spatium coguotur, minoraque fiunt; exsiccata autem sic tubera, quando aqua macerantur, aqua per poros cutis iterum intrat tubulos vacuos, eos expaodit, & sic pristinam ac amissam eis restituit extensionem juxta ac crassitiem.

§. XV.

§. XV.

Pulpa non ſemper æqve ſincera deprehenditur, inprimis in illa ſpecie, qvæ arenoſa dicitur; magna ſæpe arenæ lapillorumqve copia aut alia etiam materia heterogenea pollens, eſui minus apta, dentibusqve inimica, de qva Plinius teſtatur, nummum intra eam eſſe repertum.

§. XVI.

Ad principia Chymica quod attinet, qvivis haud difficile conjicere & ex antedictis colligere poterit, aqueum in recentibus eſſe in prædominio, in exſiccatis autem terreum reliquis præpollere.

§. XVII.

Locus natalis in genere eſt clima calidum, nam ſub frigidiori, uti noſtrum eſt, non ita exiſtunt; amant loca ſabuloſa, arenoſa, fruticoſa, agros, littora maris & in Armenia etiam montes; in ſpecie autem nigrorum patria eſt Caſtilia, Italia, Gallia, Hetruria, ubi copioſe a ruſticis effodiuntur, Africa, Armenia, Thracia &c: Nec Germania eorū plane expers eſt, nam & in ſylva qvadam

Hornburgenſi Ducatus Mompeligardenſis proveniunt, qvæ bonitatis & ubertatis laudem ſibi merito vindicant; Cyrenaica, apud Cyrenem naſcentia, olim commendatiſſima fuerunt; Terfez Africanorum multum creſcit juxta urbem Sela, abundat in Numidiæ deſertis.

§. XVIII.

Non qvovis anni tempore colliguntur, ſed verno potiſſimum, quo ſane ſunt tenerrima, effodiuntur, æſtate interdum, ſed raro, nunqvam autem reliqvis anni temporibus, cum vigor deſit.

§. XIX.

Dignoſcuntur tuberum loca naturalia & natalia ex rimis, qvæ in terræ ſuperficie, dum hiſcit, ſpectantur & ſic latentia tubera produnt. Tuberaria alias herba, cujus tres habet ſpecies Joh. Bauhinus in hiſtor. plantar. univerſali Tom. III. lib. XIII. p. 13. quibusdam ὑποφυλλον dicta (quaſi tuberis folium) tubera frequentiſſime demonſtrare dicitur, ubi enim hæc copioſe creſcit, freqventiſſime tubera reperiuntur, unde etiam Caſtel-

ſtellani, hac viſa & reperta, certo ſubeſſe tubera & meſſem tuberum ſibi promittunt, ſed quia modo dicta herba Tuberaria amat loca pinguia prataqve, tubera contra ſiccis & arenoſis delectantur locis, non possumus perſuaderi, ut credamus hancce Tuberariam proditricem eſſe tuberum. De captura ſeu venatione Tuberum apud Italos ridicula narratur hiſtoria, quod oimirum porcum altero pede fune alligent & in loca, in quibus tubera deliteſcere ſuſpicantur, abigant, ubi porcus, ſimulac tuberum odorem gravem naribus percepit, roſtro terram ſuffodit & tubera eruit, quæ, ne devoret, abigunt Itali & ipſi comedunt; ex literis cujusdam amici ad me datis, quas in fine huic ſchediasmati ſubjungere placuit, vidi, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Pruſſiæ Regem per certum quendam Italum cum canibus venaticis ea qværi curare, de qvo tameo colligendi modo nec ullibi alibi qvid inaudivi, nec legi.

§. XX.

Tandem ad uſum qvod attinet, in officinis

nis pharmaceuticis nullum habent, comendantur quidem iis, qui ad atrophiam & tabem inclinant, sed quia concoctu difficilia sunt, imo ventriculum aggravant & ad certos morbos, apoplexiam puta, paralysin, dolores colicos, tormina ventris disponunt, melioraque hoc in affectu prostaot pharmaca & alimenta medicamentosa, facile linquimus; an libidinibus occasionem præbere possint & inter aphrodisiaca numeranda? vix etiam credere possumus, nam frigidiusculum duntaxat corpori alimentum porrigunt & crassum.

§. XXI.

Usus hoc modo taotum est culinaris; cruda olim comedebantur & cocta, sed apud nos hodienum tantum cocta vel assata. Recentia decoqvuntur in aqua, dein stuppis involvuntur & sub cioere ferventi assantur, calideque assumuntur, sed longe præstat eadem aqua depurare, corticem detrahere nigrum, cum jure pioguiac pipere, vel Sale, aceto, oleo olivarum aliisque rebus condita sumere vel etiam in vino elixare.

xare. Oleo olivarum condita & ex Italia ſic ad nos delata eodem modo præparari poſſunt. Quæ in taleolis circuloſis exſiccatis, radice nempe per transverſum in orbiculos ſciſſa & exſiccata, apud Materialiſtas proſtant, die una vel altera ante coctionem jure pullorum macerantur, ubi intumeſcunt, uſurpantur ad juſcula, quæ potages dicuntur.

§. XXII.

Frigidum & craſſum, uti jam ſemel ſupra diximus, corpori dant nutrimentum, corrigere quidem eorum frigiditatem tentant pipere aliisque aromatibus calidis, ſemper tamen præſtat, illis vinum bonæ notæ ſuperbibere.

§. XXIII.

Plura non adducam, multa prætermiſſa eſſe fateor, ſed hæc pro hiſtoria tuberum dixiſſe jam ſufficiant;

Deo autem optimo maximo
ſit
Laus, honor & gloria in æternum.

Extract eines Schreibens von den Knollichten Gewächs, welches die Italiener, wie ich aus einen an mich abgelaſſen Brieffe verſtehe, TRUFFEL nennen.

SOnſten habe auch meiner Schuldigkeit zuſeyn erachtet, mit einigen novis aus unſer Nachbarſchafft zu dienen. In Betracht welcher ich berichte, daß anitzo in der Sommersburg bey dem daſigen Hegereuter ein von Berlin geſchickter Italiener nebſt einen Königl. Jager ankommen, welcher einen Erdſchwam, nahmens Truffel, auffſuchen muß. Hievon aber melde, daß ſolchen unſer gnädigſter König zuvor allzeit aus Italien hat bringen laſſen müſſen, und öffters das Pfund auf 40. Rthlr. zu ſtehen kommen, welcher als eine herrliche delicateſſe auf die Königl. Taffel geſetzet worden. Nachgehends iſt höchſtgedachte Königl. Majeſtät in Erfahrung kommen, daß

daß ſolch Gewächs auch wohl in Dero Landen zu finden, und könte ſolches auf dieſe Weiſe allzeit friſch aufgetragen werden, welches zuvor in Italien in Weineßig geleget worden, damit es unterweges den Schmack nicht verliehre, oder gar verderbe. Zu dem ende hat er oberwehnten Italiener kommen laſſen, welchen er nicht allein propre kleidet, ſondern auch monatlich 13. Rthlr. zahlet: Es wird ihm ein Pferd gehalten, und ein Königl. Jäger, welcher die grentzen ziemlich weiß, zugegeben, der ihm aller Orten beſorderlich ſeyn muß. Erſagter italiener nun ſuchet dieſen Erdſchwam mit 3. darzu abgerichteten Spuhrhunden auf. Es lieget ſolcher in der Erde, ſiehet aus wie die kleinen runden tartufflen und hat einen ſtarcken Geruch. Albier in Sommerſenburg hat er einige wenige gefunden, dürffte alſo dieſer Erdſchwam, welcher nur gegen den Winter zu finden und zu gebrauchen iſt, hier faſt

hoher zu ſtehen kommen, als vvenn er aus Italien transportiret vvurde, nur iſt er viel ungenehmer, vveil er friſch in etvvas Erde eingedrucket nach Berlin übermachet vverden kan. Ofibeſagter Italiener iſt auch zu Alvensleben and an mehr Orten gevveſen, aber nichts funden, ohn Zvveiffel vveil vvegen der Maſtang die Hölzer von Schvveinen ſehr durchvvuhlet und die Schvvämme mitgefreſſen vvorden ſeyn. Es laſſe ſich, mon ami, ohnſchvver gefallen, mir davon in einer klaren and deutlichen Schreib art vveiteren part zu geben, und zugleich ein öffentliches Kennzeichen, daſs er noch beſtendig liebe

Seinen

Ergebenſten Freund
und Diener

N.

Fig. I) ſiſtit tuber terra integrum.

Fig. II) exhibet tuber perpendiculariter diſſectum oculoque armato ſpectatum.

Fig. III) probet partem tuberis exſiccati & microſcopio conſideroti.

Fig. IV) dat tuber horizontaliter diſſectum & microſcopio conſideratum.

Fig. V) eſt pars corticis aque microſcopio ſpectati.



A. Drentwet Augustanus Delineavit.